



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Vita Innocentii Papae V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO CHRISTI 1274. ricum interpretor; qui, teste Eberhardo Altahensi, obiit anno 1284. De tempore Concilii Saltzburgensis, quod apographum nostrum refert ad annum 1274. non contemnenda difficultas oboritur. Nam, testibus Eberhardo Altahensi & Sterone, celebratum est generale Concilium eodem anno 1274. apud Lugdunum, cuius Statuta ut seruentur precipit hoc nostrum Saltzburgense Concilium in initio. Necesse ergo est vel + eodem anno Lugdunense & Saltzburgense Concilia celebrata, vel in numero mendum esse. Accedit quod Henricus Stero editione Francosordiensis <sup>† Quod mihi probabile, si singulis annis rā celeb. Concilia, qui mos e Canonibus probus & notus.</sup> habeat: Anno 1281. a Friderico Saltzburgensi archiepiscopo apud Saltzburgam Concilium celebratur. Quia verba numerata omnia dati etiam noster Eberhardus Altahensis: in cuius editione retinuimus, propter sequentia & antecedentia, numerum anni 1281. licet manuscriptus codex Eberhardi habuerit (vt notauimus ibi in margine) annum 1186. sine dubio virolo; cum Fridericus Saltzburgensis archiepiscopus obierit anno 1284. An vero id ipsum nostrum sit Concilium Saltzburgense, cui adscriptus 1274. annus, omnino diserte; nescio: sed non puto. Bonum vero factum censui, lectorem admoneri. Quare autem potius duo diversa hec prouincialia Concilia fuisse putem, unum anno 1274. alterum 1281. celebratum, mouent me verba huius nostri Concilii hac: Alioquin nos in proximo prouinciali Concilio ad reformationem praedicti ordinis, quantum de iure possumus, procedemus. Vbi vides in hoc Concilio promitti quasi proximum aliud. Et paulo post ibidem: In proximo prouinciali Concilio fidem nobis faciant priuilegiorum. Et iterum: In ipso proximo prouinciali Concilio, seu episcopali Synodo, quem terminum ipsis peremptoriū assignamus, legitimis documentis edoceant. Imo singulis annistum Synodus prouincialis cogebatur: quod colligo ex Viennensis Concilii his verbis: Singulis annis in Synodo illi qui clericos capiunt, &c. excommunicati denuntientur. Imo anno quarto Pipini regis in Concilio apud palatium Vernis statutum Canone quarto, ut bis in anno Synodus celebraretur. Hec Canifius.

VITA

INNOCENTII PAPÆ V.

ANNO CHRISTI  
1276.

INNOCENTIVS quintus, Tarantasia, quod est municipium non procul a Maurienna valle in Alpibus situm, oriundus, ante pontificatum Petrus nominatus, ordinis sancti Dominici religiosus, propter scientiam & intelligentiam sacrarum literarum (erat enim doctor theologus, & super libros quatuor sententiarum & sancti Pauli epistolas commentarium scripserat) Ostiensis episcopus factus, ad extremum Aretii per cardinales secundum legem a Gregorio X. latam in conclave ingressos in ponti-  
*Concil. Tom. 28.*

Ggg

602 HADRIANI PAPÆ V. VITA.

ficem electus est XII. Kalendas Februarii tempore Rudolphi imperatoris anno 1276. Romam ingressus, ibidem sacro diademate apud sanctum Petrum coronatus est. Exinde amator publicæ tranquillitatis ad pacem compонendam omnes cogitationes conuertens plures legationes misit ad Etruscos, iis sub poena excommunicationis iniungens, ut armis contra Pisanos arreptis abstinerent. Michaelem Palæologum imperatorem Orientis fidei in Concilio Lugdunensi datae admonuit. Venetos & Genuenses similiter monuit, ne se deinceps bellis lacerarent. Etrusci & Florentini pontificis mandato paruerunt: qui proinde ab interdicto per pontificem absoluti sunt. Veneti & Genuenses ab inchoatis præliis non destiterunt, ex quibus Innocentius pacis amantissimus eos extricasset, nisi præmatura morte præuentus fuisset: nam post quinque menses & aliquot dies ab electione lapsos defunctus, in basilica Lateranensi sepultus fuit.

VITA  
HADRIANI PAPÆ V.

**H**ADRIANVS V. Genuensis patria, ex illustri Flisco rum familia natus, antea Ottobonus nominatus, Innocentii quarti nepos, a quo sancti Hadriani cardinalis creatus erat, dum ad comprimentam seditionem inter regem & barones Angliae legatum egisset, subrogatus est in locum defuncti Innocentii quinti, IV. Idus Iulii, anno Christi 1276. imperante Rudolpho I. Quia de causa cum ad eum agnati sui gratulaturi accessissent, iis dixisse scribit Massonius: Utinam me cardinalem prospera valetudine, non moribundum pontificem inuenissetis. Viterbum profectus, imperatorem ad retundendam Caroli regis Siciliæ potentem insolentiam in Italiam vocavit. Sed imperator bello contra Bohemos suscepito impeditus pontifici satisfacere non potuit. Carolus vero omne belli robur in Græciam conuertit. Hadrianus inchoato Lateranensi palatio 40. electionis suæ die moritur Viterbiæ, antequam consecrationem consecutus fuisset. In conuentu fratrum Minorum ibidem sepultus est. Ecclesie